



**Processus Juridicus contra sagas & veneficos, Das ist:
Rechtlicher Proceß/ Wie man gegen Unholdten vnd
Zauberische Personen verfahren soll**

Goehausen, Hermann

Rintelii ad Visurgium, 1630

IX. An plurium Sagarum nominationes sufficient ad torturam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64982)

Qu. IX. An plurium Sag. nominat.
 ne propria rei confessione, sufficere quidem
 ad *condemnandum*, sed poena mitiori,
 quam ordinaria. Sed pergo.

QUÆSTIO IX.

*An Plurium Sagarum nominationes
 sufficiant ad tortu-
 ram?*

DUbiū tertium hoc est, ac quidem
 principale quod hodiè circa Nomi-
 nationem in quæstionem venit, an *plurium*
 nominatio ad effectum *tortura* sufficiat?
 Et est hoc de articulo *duplex* Doctorum
sententia. Sufficere *plurium* nominationē
 absq; aliis indiciis vel adminiculis, multi
 NEGANT ut *Blanch. Grammat. Natta. O fasc.*
Mascard. Bursat. Bertaz. & alii, quos alle-
 gat *Farin. de indic. & tort. d. quæst. 43. n. 34.*
35. & 36. quibus adde *Felin. Crauet.* & alios,
 quos citat *Delrio lib. 5. disquisi. Mag. quæst. 1.*
concl. 2. in append. 2. qui generaliter, tam de
 criminibus *non exceptis*, quam *in exceptis*
 statuūt, depositiones plurium sociorum
 criminis non facere iudicium ad tortu-
 ram

ram, cum enim socii criminis delictum de se confessi, *infames* sint, adeoq; laborant tali defectu, qui non diminuat de eorum fide, sed *ex toto* reddat eos inhabiles, ideo numerus non supplet fidem, nec inhabilitatem, quia quod nihil est supplementum non recipit, quamvis itaq; sint plures confitentes de nominato, horum tamen depositiones non valebunt tantum quantum dictum unius testis, quin imò nihil probant nisi ad *inquirendum*: secundum *Grammat. & Nattam. dd. locis apud Farin.*

Utuntur verò *Dd.* illi argumentis ferè hilce. i. præter jã dictam rationem, dicit *Cravetta de antiq. temp. p. 1. §. quodlibro officialis. n. 19.* absurdum esse, quod plures testes omnes inhabiles possint simul fieri habiles, quia nequit ullus dare alteri quo ipse caret. Et ergo frustra plures inhabiles testes ad torturam simul iungi. Verum ad hanc & superiorem rationem respondit *Farin. d. quest. 43. n. 41.* numerum quidem non supplere defectum testis, sed illius, qui omnino admitti non debeat, cū

159 *Qu. IX. An plurium Sag. nominat.*

verò reus de se confessus *in crimine hoc excepto* etiam de complicibus interrogari possit, & sic in testem admittatur, ideo rectè dictum unius socii adminiculatur dicto alterius, secus in casibus in quibus non potest socius de complicibus interrogari. Confer huc quæ *in quest. preced.* pluribus diximus, & ea quæ Doctores Patavini apud Peregrin. *d. conf. 2. n. 19* ad hoc argumentum eleganter respondent.

2. Semper in dubiis sententia benignior præferenda est. *L. 56. de R. l.* maximè in causis pœnalibus. *L. 155. §. 3 eod.* Atquin hæc negans sententia benignior & mitior est, siquidem procliviores ad liberandum, quam ad obligandum esse debemus, *L. 47. de O. & A.* & præstat nocentè absolvere quam innocentem condemnare *L. 5. de pœn.* atq; etiam ita iudex in conscientia magis tutus erit, si negativam sequatur.

Sed potest responderi, humaniorem sententiam quidem sequi oportere, si modo negocium id pati possit. *Gotfr. in d. L. 155. §. 2.* ac habeamus occasionem ad
negan-

negandum, *d. L. 47.* Quamvis verò hic in dubio casu versemur, propter duas sententias contrarias, ob interpretum huic vel illi ad stipulantium multitudinem valde probabiles, sufficit tamen judici verisimiliter constare posse, quid plurium nominationi tribuere debeat, & an ex ea ad torturam procedere liceat, quomodo negari potest nos hic in dubio versari. Deinde licet sit quidem sententia *negans* mitior respectu *nominati*, attamen respectu *Reipubl. & boni publici* affirmativa utilior est, siquidem ita iudicia promouentur, ac facilitatur via executionis.

Atquin, inquires, 3. ex tali modo procedendi facile posse contingere, ut condemnentur aliquis qui verè est innocens, quis namq; crederet, Sagas in nominandis sociis semper veritatem dicere? an nò aliquando instinctu Diaboli, patris mendacii, aut innocentes, aut Ipe fortè impunitatis & liberationis personas illustres nominabunt? Itaque omninò obtinet regula, præstare nocentem absolvere, quam innocentem cõdemnare. *d. L. 5.*

Potest responderi, quod vix unquam teste experientia innocentes nominati fuerint, aut si fuerint, eorum tamen innocentiam, Deo sic dirigente, fuisse partefactam. *Vide Binsfeld. de confess. malefic. membr. 2. concl. 1. & seqq.* Sanè cum confitet summo labore Sagas adigi ad has nominationes, Dæmone eas prohibente, ne regnum suum, supplicio affectis subditis, diminuatur, ac eiusmodi exemplis cæteri ab hoc crimine absterreantur, hinc tantò certius existimandum, denunciationes illas, esse veras, quas scimus Dæmone invitissimo fuisse extortas. Et ideo facilius Sagæ solum *defunctas* quasdam personas nominant, sicuti ex *Sagarū* confessionibus *Facultati nostræ* transmissis non semel observavi; ac quod benè notandū est, à iudicis arbitrio dependet judicare, quantum denunciationibus infamium contra personas *bona fama* sit credendum. *V. Delrio. d. loc. q. 5. & 6.* Confer quæ dicam *in quest. seq.*

Replicant tamen. 4. melius esse dicente *Iohan Chrysostomo* rationem reddere de nimia

nia misericordia, quam lævitia; Sed & sciant illi iudicem Bonis nocere, quisquis pepercit malis: Et certè crudelis non est, qui ut multos ab unius iniuria defendat, in hoc crimine vindicando severior est; magis crudeles iudices illi, qui hic nimis remissi ac desides sunt, quiq; ut uni parcant, tam multos necari permittunt; quos & ideò *impietate pios* rectè vocaveris, cum *Dei & reipub. causæ* commodum privatæ personæ præferant: ac si fortè hoc modo contingat aliquando ut personæ denunciatae vis & iniuria fiat, id perinde curandum non est, ac si *secundum allegata & probata*, aliquando condemnetur is qui verè est innocens. *V. eleg. Delrio. d. libr. 5. q. 1. in append. 2. §. quinto hac sententia tu-rior est.*

Argumentantur. §. In Constitutione Carolina, ad quam velut ad regulam Lesbiam iudicia exercere oportet, non refertur inter cætera Magiæ indicia, hæc duorum vel plurium denunciatio *vid. P. H. D. art. 44.* Ergò iudici hoc indicium, si maximè aliis adminiculis destitutum

K §

fit,

154 *Qu. IX. An plurium Sac. nominas,*
sit, negligendum est. Sed est hoc argu-
mentum nihili, & merè negativum; neq;
Caroli mens fuit omnia sufficientia indi-
cia in *d. art.* cōmemorare, cum facta sint
infinita, sed quedam ponere, ut is qui *Idi-*
ctioni præest, ad similia procedere possit.
L. 12. d. LL.

Argumentantur 6. Ex solis depositio-
nibus & testimoniis complicum nunquã
judici procedendum ad *condemnationem.*
Jul. Clar. §. fin. q. 20. lib. 5. Menoch. 1. pres. 88.
¶ 89. V. eleg. Delrio. d. tr. libr. 5. sect. 5. §. 4.
Quantumvis multiplicentur. Vide quæ di-
ximus in *quest. preced.* Ergo ex iisdem solis
nunquam etiam procedendum ad *tortu-*
ram: quoniam hæc viam sternit ad con-
demnationem, eaq; ferè necessarium
torturæ consequens est. Sed non valet
hæc consequentia, sicuti nec si inferres,
unius complicis nominatio sufficit ad
capturam. *Salic. in Lege 6. C. de accusation.*
num. 9. Boër. decis. 319. num. 4. Ergò etiam
ad torturam; Etenim ad capturam *levio-*
res, ad torquendum *urgentiores*, sed ad cō-
demnandum *luce meridiana glariores* pro-
batio.

nationes requiruntur. *Leg. in Codic. de probation. c. sciant. 2. quest. 8.* Quod verò de positiones plurium inhabilium quoad condemnationem, non sufficiant, ratio est, quia condemnatio debet inniti *judiciali certitudine*, ast quia tortura innititur tantum *versimilitudini & opinioni*, hinc benè nominationes plurium ad effectum torquendi sufficere possunt. Confer ea quæ dixi in duabus qq. *preced.*

7. Unica *unius* complicitis nominatio legitimum indicium ad torturam non est, *sicuti in quest. preced. septima ostendi.* Ergo nec etiam *plurium*: ratio Conseq. quia multa imperfecta nequeunt simul producere unum perfectum v. g. multa ægra unum sanum, multa tepida unum calidum &c.

Verum coincidit hoc argumentum cum primo, & potest negari consequentia, nec enim rectè infertur, *Vnius* testimonium non sufficit ad condemnandū; Ergo nec *duorum* possunt sufficere, contra locum *Deut. 17. Matth. 18.* Si dixeris, hic quæri non de *habilibus* sed de *testibus plu.*

156 Qu. IX. An plurium Sag. nominat.

pluribus infamibus, adeoq; ad probandum
inhabilibus, iam potest regeri cum Farina-
cio, quod supra ad argum. 1. locios in crimi-
ne hoc excepto non omnino, sed tantum
secundum quid, inhabiles esse, ideoque in
quibus criminibus socius de sociis inter-
rogari potest, ibi indicium aliquod præ-
stare potest, cæteroquin frustra interro-
garetur & ad denuntiandum torturæ cru-
ciatu adigeretur, sicuti itaq; plus creden-
dum assertioni *multorum habitum*, ita
quoq; faciunt maiorem verisimilitudi-
nem denuntiationes *plurium*, tamen si in-
habilitum, scilicet in quibus criminibus de
sociis interrogari possunt: Unde corrui-
t adducta ratio conseq. quia *singula* nomi-
nationes complicum non sunt proflus,
sed tantum secundum quid *imperfecta*,
seu *infirmæ*, ideoq; si earum *plures* collecti-
vè habeantur, possunt illæ unum indici-
um ad torturam sufficiens producere, se-
cus est in exemplis appositis, si quidem in
quibus inest ipsius rei privatio ad quam
producendam deberent concurrere, uti
in ægro privatio sanitatis, &c. Vide pluri-
bus

hos & doctè Delr d. sect. 5. & d. q. 1. cuius ver-
ba in q. preced. recitavimus.

Ultimò sic argumentantur: nomina-
tiones lociorum *in aliis criminibus* non fa-
ciunt indicium ad torturam, *Mascard. vol.*
1. concl. 1311. de probat. Menoch. 2. de arbitrar.
cas. 474. Ergò nec *in criminibus exceptis.*
Ratio Conseq. quia hæc crimina non
quoad *procedendi modum*, sed quoad *pæna*
excessum, quam in illis graviolem iudex
imponere potest, *excepta* tantum vocan-
tur, adeoq; nec in hisce iudici licet, *ordi-*
narium procedendi modum transgredi, ac
per consequens ex hoc indicio nomina-
tum torquere. *V. Boss. tr. de indic. ante tort.*
n. 78. Decian. cons. 18. n. 42. Sed & hæc pos-
test negari conseq. à delictis aliis ad ex-
cepta; quod vel ipsum nomen latis ar-
guit, & dicit *Farin. quest. crim. 18. n. 60.* ex-
cepta crimina, *Semper* excepta censerì,
hoc est, non quoad quædam tantum, sed
quoad omnia, nimirum *jurispositivi* de-
creta; ut sic excepta vocentur non tan-
tum respectu *pænae gravioris*, sed etiam re-
spectu *processus & ordinis iudiciarii*, atque
ideò

158 *Qu. IX. An plurium Sag. nominat.*

ideo iudex procedere possit in hoc crimine, quo sibi modo secundum equitatem ac conscientiam suam, procedendum putat. Vide eundem Menoch. d. cas. 474. n. 28. Et hæc sunt, quæ pro sententia Negativa adferri possunt.

Multi quoque sunt, qui *Affirmant* plurium nominationem sufficere, ac ideo à pluribus complicibus debite interrogatis nominatum, absque aliis indiciis torqueri posse, qua in sententia sunt *Farin. d. q. 43. n. 37. & 41. Berlich. p. 4. concl. pract. 4. n. 116. Boerius, Paponius, Bossius*, quos refert ac sequitur *Clarus in pract. §. fin. q. 21. n. 9. & 11.* ubi ex relatis auctoribus testatur, ob nominationem duorum & trium reorum sic fuisse servatum per senatum *Burdeganensem*, per Curiam *Parisiensem*, in Ducatu *Mediolani* & in regno *Neapolitano*; *Binsfeld: Lanfranc. Bonacos: Roland. à Valle*; aliique, quos citat ac probat *Delrio. d. loco. q. 1. §. probatur. 1. auctoritate. Gomez. 3. var. resol. c. 12. nu. 18. Ludov. Peguer. decis. crim. 5. & alii* quos allegat *Farin. d. q. 43. n. 69 70. & 71.* qui licet male plurium nominationes etiam ad

ad *condemnationem* sufficere existiment, sicuti in *quæst. præced.* docuimus, attamen putet illos quoque hanc sententiam approbare, quam & approbant Doctores Patavini, teste M. Ant. Peregrino *d. consil. de Sagis. n. 6. & pluribus seqq.* ac eandem sequuntur multi recentiores, speciatim Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 13. punct. 4. §. 2. & 3.* Et possunt pro ea adduci hæc argumenta:

1. In criminibus *exceptis* concessum judici, ut secundum *jus naturale* procedat, cum sint hæc crimina à legibus *juris positivi* exempta: Atqui *jus naturale* socium criminis à testimonio non repellit: intamia quidem illum *jure positivo* inhabilem reddit, non autem *jure naturali*, nam Jure naturali vel criminiosissimis qui nihil unquam credendum asserat, mihi certè sit incredibilis, ait Delrio. *d. q. 1. lit. m.* Ergò in hoc magiæ crimine concessum judici ex testimoniis plurium sociorum jure naturali sufficientibus, ad torturam procedere.

Quamvis posset dici, ex hæc ratione
etiam

etiam sequi juxta Gomez. *supra citato loco*,
unius socii testimonium aduersus socium
 in criminibus exceptis, indicium ad tor-
 turam præstare posse, nimirum solo iure
 naturali considerato, quo socius crimi-
 nis testis inhabilis non est: Veruntamen
 posset regeri, licet socius criminis iure
 naturali testis habilis videatur, attamen
 ipsum *non exceptione maiorem* esse, ideoq;
 solus & unicus aduersus socium sufficiens
 indicium ad torturam non præstabit. *V.*
Berlich. p. 4. concl. 4. n. 92. & 93. Quia verò
 gignit in animo iudicis *qualem qualem præ-*
sumptionem, ideo si plures idem asserant, au-
 getur præsumptio, ac inde iudici potest
 videri hoc indicium ad torturam sufficia-
 ens esse. Confer eleganter Doctores Pa-
 tavinos apud Peregrinum *d. conf. 2. n. 8.*

2. Si cum nominatione unius socii a-
 liud quoddam indicium concurrat, tunc
 personæ nominate rectè possunt torque-
 ri. *V. Tusch. concl. præct. 69. n. 13. lit. V. Berlich.*
d. p. 4. concl. 4. n. 115. & Patavinos apud Pe-
regrin. d. conf. 2. n. 11. ubi eiusmodi admi-
 nicula seu indicia recensent. Atqui si alii
 socii

locii criminis contra eadem personas
confiteantur, quasi novum quoddam
indicium concurrere seu maior præsum-
ptio accedere videtur. Ergo tum reus po-
terit torqueri: sed fortè possiet responde-
ri, etsi plures socii de eadem cōfiteantur,
attamen unam tantum esse qualitatem
indicii, & ad hoc, ut indicia dicantur
plura, requiritur diversitas inter *unum &*
aliud, non autem, quod sint eiusdem ge-
neris, prout sunt plures socii; qui propte-
rea faciunt unum & idem indicium, sicut
ait ex *Blanchō Farin. d. q. 43. n. 34*. Etsi ita-
que accedat plurium sociorum nomina-
tio hæc tamen à priori non est diversa,
ac proinde nec diversam vim probandi
obtinet.

Quamvis ad hoc possit replicari ex iis
quæ docet *Menoch. lib. 1. de presunt. 39. n. 3.*
& 4. quod videlicet probatio composita
ex duabus speciebus imperfectis, quæ ta-
men eiusdem sint generis, seu, ex duobus
individuis eiusdem speciei, plena & suffi-
ciens sit; quem ideò videbis, adde *Del-*
tium citata. q. 1. & *Doctores Patavinos*

L

apud

162 *Qu. 1X. An plurium Sag. nominat.*
apud Peregrinum. *d. cons. numer. 12.*

3. Potest ita argumentari, verum quidem esse, quod *quæ vim nullam ad aliquid obtinent, ea nec plura quicquam efficiunt*, sicuti nota nullitatis in numeris arithmeti-
cis, quantumvis illam crebrò multi-
ces, nunquam per se efficiet ullum Ens
numerabile, *V. Mascard. vol. 3. concl. 1311. n. 18.* sic etsi candelas centum non accen-
sas, inferas in aulam obscuram non plus
quam nulla vel una conlucebunt; attamē
verissimum quoq; , *ea quæ vim aliquam ob-
tinent, licet exiguam & imbecillem, quod non
possunt seiunctim. alius similibus tamen adiun-
ctis ac ita copulativè possunt*: sic etsi una gut-
tæ aqua nequeat, plures tamen excavant
lapidem, & duo pluresvè pueri trabem
ferre possunt, hinc illud *Dd. brocardi-
con: Et quæ non profunt singula, multa iuvāt.*
Doctores Patavini d. cons. 2. n. 13. Cum ita-
que socii criminis *in exceptis* de complici-
bus interrogari possint, hoc siquidem
præsupponendum est, utiq; ad fidem fa-
ciendam *aliquid* obtinēt, licet id *exiguum
ac infirmum* sit: Et ergo quod socii *soli* ne-
que.

nequeunt, aliis similibus adiuncti interdum
non nequeunt. Atque ex hisce doctrina
Monochii d. l. 1. de pres. q. 39. n. 3. & 4. confir-
mari potest, siquidem quod *imperfectum*
est, addito alio potest interdum perfici,
non Entis autem nullæ sunt qualitates,
nisi quis hic dicere vellet, eiusmodi *Bro-*
ardicis & Philosophicis exemplis in crimini-
bus maximè his atrocioribus, in quibus
honor, substantia & vita hominis pericli-
tatur, abutendum haud esse, & quidem
dicta ac confessiones lociorum fidem a-
liquam facere, sed hoc tamen debere re-
stringi *ad inquirendum*, argumento eorum
quæ tradit *Decian. d. cons. 18. n. 42.*

Verum ad hoc sciendum est, privatæ
personæ causam, causæ Dei & Reipubl.
præferendam non esse, & cum *unius* no-
minatio secundum ea quæ *in quest. preced.*
septima diximus, ad hunc effectum suffi-
ciat, cur non *plurium* in ordine sufficeret
ad torquendum? Etenim si *Singulis aliquid*
credendum est, (quod utiq; fieri debet,
cum iudex possit ac etiam teneatur in
criminibus *exceptis* singulos interrogare)

L 2

qua-

164 Qu. IX. An plurium Sag. nominat.

quare non *Pluribus* plus credendum quam *Unico* Testi *unico*, licet omni exceptione maiori, ad *condemnandum* non creditur, creditur tamen si alius illi similis testis adiungatur; Cur non similiter plurium complicum denuntiationibus plus crederetur, sed tantum ad *torquendum*? Cur non & hic numerus fidem suppleret? Tam enim testes *integra fama Singuli* sunt inhabiles in ordine ad *condemnandum*, quam *infames socii Singuli* inhabiles in ordine ad *torquendum*.

Quod itaq; illi non possunt seiunctim, possunt tamen copulativè; cur isti similiter non possent idem? Et si dixeris, malè esse comparationem testium *habiliū* & bonæ famæ, ac testium *infamium* & inhabiliū, potest responderi, vel hand *comparationem esse tantum secundum quid*, nimirum quoad probationem utrobique in *Singulis* inidoneam, vel testem bonæ famæ certo respectu, nimirum condemnationis, esse quoq; inhabilem, sicuti econtra socius criminis in *exceptis*, testis habilis esse potest. Atq; hæc sunt quæ pro-

len.

qua sententia *Affirmativa* possunt urgeri. Quid
dendum? Sanè hic iudici aqua hæere
plet; Fortè tamen non aberraverit, qui
erit, sententiam *negantem* magis habe-
adiunctam justitiæ exequendæ retar-
tionem, & fermè evidens periculum
centissimos magos debitæ pœnæ eri-
endi, docet siquidem *Experientia*, in
hoc arcanissimo scelere veritatem vix a-
via posse deprehendi, cum nec com-
modè probatio sceleris per alios quàm per
habiles & complices facinoris possit
haberi; quoniam malefici non solent hoc
crimen nisi coram complicibus commit-
tere, & solis illis detegunt: Atq; eam fortè
causam, sententiam *affirmantem* mul-
tarum regionum *praxis*, de quibus *Clarus*
citato loco, amplectitur, ne scilicet
contra bonum publicum occultissima
delicta maneant impunita; *Bajardus ad*
Clarus d. loc.

Observandum tamen, hanc *affirmati-*
am moderandam esse. 1. Ut illæ de-
tentiones fuerint factæ in tortura: *V.*
Farin. d. q. 43. n. 134. vel metu torturæ, *Vide*

166 *Qu. IX. An plurium Sag. nominat.*

Binsfeld. d. tr. membr. 2. concl. 5. & Delrio. d. append. 2. quest. 11. per totam : rationem dedimus *in quest. preced. octava*, ubi vide. 2. ut denuntiantes nihil iræ vel rancoris habeant vel odii cum denunciato, quod iudex debet diligenter attendere, & quaerere, nam inimici nominatio nullam fidem faceret. *Delrio. d. tr. lib 5. sect. 3. lit. L. & in append. 2. quest. 2. per tot. Et. 3.* Ut ad minimum tres correi eandem personam nominent ac denuntient, quod providè admonuit *Delrio d. append. 2. q. 41.* quod si tamè magna personarum, denuntiantium & denunciati, fuerit inæqualitas, v. g. si Princeps denuntietur à suis subditis, vel alius honestiore loco natus ab hominibus vilioribus, nec tres quidem suffecerint, atque ita etiam aliquando propter vim bonæ famæ non modo plures requirentur, sed etiam pro ista circumstantia personarum nominantes falsum magis dixisse præsumuntur, quod itidem admonuit *Delrio. d. append. 2. q. 6.* Tandem. 4. ut certam scientiæ causam addant, veluti, quod persona nominata Magiam illos docuerit, cum illis

illis venena præparaverit ac miscuerit, crimen hoc illis secreto manifestaverit, vel etiam quod ipsam in congregatione nocturna Sagarum viderint, de quo potestremo tamen non leve oritur dubium, an ita denunciari aliquem aut aliquam à pluribus, ad torturam satis sit? cum adhuc sub iudice lis sit, an isti nocturni conventus *reales ac veri* sint, seu potius *imaginarium ac illusorium*, at tamen eos *frequentius reales ac veros esse in quest. preced.* ut putamus, sufficienter demonstravimus. Adhuc Doctores Patavini apud M. Anton. Peregrinum *d. cons. 2. n. 18.* huic *sententia* quoddam aliud temperamentum; quod Sagæ denuntiantes debeant esse *contrita & penitentes*, quam & Doctorum Friburgensium limitationem esse dicit Delrio *d. q. 1. in fine.* tamen si ipse eiusmodi penitentiam ad torquendos denunciatos non esse necessariam existimet, *d. libr. 5. in append. 2. quest. 3.* de quo quid statuendum ac sequendum sit iudici, *in quest. preced. 8. in fine* satis diximus.

Sub finem & hoc advertendum est,

L 4

ad-

168 *Qu. X. An ob plurium nominat.*
admissis hinc conditionibus seu potius re-
quisitis, non ideo quaestionis nostrae sta-
tum inverti aut mutari, siquidem non
sunt haec *adminicula* proprie dicta seu *in-*
dicia alia, quae nos exclusimus, sed nudae
limitationes ac solum *circumstantiae* iplarum
nominatum, iuxta quas praesuman-
tur nominantes verum aut falsum di-
cere.

QUAESTIO X.

An Iudex ob plurium Sagarum de-
nuntiationes eam personam quae alio-
quin antè eiusmodi denuntiationes
probæ & integræ famæ fuit,
tortura subicere
possit?

SCitu dignus hic est articulus, & ne-
cessarius: Docui quidem *in quest. praec.*
ob plurium nominationes *torturae* locum
esse sed cum hoc *moderamine*, si tamen Sa-
ga denuntiantes ex personis eorum, con-
tra quos deponunt, falsa non dicere praesuman-
fuman.